



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Schildi[i] De Caucis**

**Schild, Johannes**

**Lvgd. Batav., 1649**

Cap. IV. Gentilitatis audentia, coelitibus illustres famâ viros inserentis.  
Coelum humano genere repletum. Herculem Germanus admirabatur. In  
ejus nomen adscitum, quidquid ubique magnificentum. Herois ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13007**

est, quod immiscuit historiæ suæ Witechindus, Saxonum Deos auxisse Martem *secundum errorem paternum* : ut hanc, quasi traditam per manus, à majoribus acceperint superstitionē. Hesus aut Hesus, indigenæ Mars Germano vocabatur. Numquid publicam illi dicatam trivère nostri viam? Carolus in diplomate, quo Bremana limitat : *Dehinc ab Orientali parte ejusdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Hesseweg*. Et omnino plura panderēt sese quæritantibus antiquorum indicia morum, nī, ut cuncta rerum, sic ipsa quoque nomina locorum, temporibus atque mutatione domita, perīssent. In eodem Diplomate : *Huic parochia decem pagos subjecimus, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis & divisionibus, in duas redegitur provincias, his appellantes nominibus, VVigmodiam & Lorgoe.*

## C A P. IV.

*Gentilitatis audentia, cœlitibus illustres famâ viros inserentis. Cœlum humano genere repletum. Herculem Germanus admirabatur. In ejus nomen adscitum, quidquid ubique magnificum. Herois Arminii sacrata venerationi columna. Ermensul, in Saxonibus. Humanitatis prodigia principes, qui interesse divinitati suæ voluere. Partim id amoliendo mortis horrore repertum, partim augenda majestati. Coli voluit effigie numinum Augustus. Structum Tiberio delubrum. Mario superstiti libatum, Octavioque.*  
Sape,

*Sæpe, delusis talibus, odium & invidia quasita successit admirationi. Septentrioni non insolens, functos fato mortales ενδειάζειν. Magnum Carolum cœlestibus placari cerimoniis Barbarossa præcepit. Adversus feminas insignita Germani reverentia. An rectè Tacito Velleda, aliâq; Germanorum optimates femina, ordinibus adscripta Dearum. Velleda θειάζου. Marthe Marii, aut Pythia comparanda vati. Cauco, cum vicinis, æstimata. Fulvii Ursini conjectatio. Velleda memoriam inter imprecandi superstite formulæ. Veluti Blod, ac Crodo. Cur sanctitatis epitheto decorentur gentibus alicubi deæstri.*

**S**I quos operum magnitudo supra genium populi, & sortem extulisset temporum, iis prisca gentilitas, tanquam mortale fastigium egressis, & venerationem hominum meritis, incredibili temeritate cœlum aperiebat, exiguâ thuris impensa humanam evecta fidem beneficia pensatura. Antequam natura eos ab oculis amoliretur mortalium, invidiæ, summæ virtutis ac fortunæ comiti, colluctatos, post obitum propitiari consecratione putabant. quando, quos Diis in vita simillimos acceperant, esse confiterentur Deos. Perquam facetè Tullio scriptum est in primo Tusculanarum, totum prope cœlum humano genere completum esse. Qui, cum paullò antè differuisset, mortem non interitum esse omnia tollentem, atque delentem, sed quandam quasi migrationem com-  
muta-

mutationemque vitæ, quæ in claris viris & feminis dux in cœlum solet esse, in ceteris humi retineretur, ac permaneret tamen, *Ex hoc, inquit, & nostrorum opinione, Romulus in cœlo cum Diis agit ævum, & apud Græcos, indeque perlapsus ad nos, & usque ad Oceanum, Hercules tantus & tam præsens habetur Deus.* Herculem Germani quoque semideos inter heroas dicaverant, quem, veluti primum omnium virorum fortium, ituri in prælia canebant: sive is celebratus autorum monumentis Hercules fuerit, sive, quod credibilius est, regum aliquis magnitudine operum haud inferior Hercule, in cuius nomen, quidquid ubique magnificentum & egregium esset, antiquitas adsciscebat. Postea Cheruscorum duci Arminio, terrori populi Romani, qui non primordia ejus, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum lacefferat imperium, primò quidem ab admirabundis popularibus, deinceps ab accolis, & inter eos haud dubiè nostris, eadem contigit honestari veneratione. Testantur enim vetusti Francorum Annales, Carolum, captis Saxonum castellis, statuam, quæ vocabatur Ermenful, ad evellendam ex animis supplicantium insaniam, disturbasse: quæ quidem statua primitus Arminio, fortitudinis atque magnanimitatis principi, posita tanquam heroi fuit, ut, ignorato scripti-

scriptilium usu elementorum, excelsæ virtutis monumentum ad posteros esset: sed majorum gratitudinem feciùs interpretante subsequentiùm inscitia seculorum, quod in plerisque factitatum nationibus scimus, ea, quæ clari viri dicata meritis erat, præsentem exhibere Deum credebatur. Hinc non alium ab Arminio Deum *Ermum* vel *Irmum* istum autumo fuisse, quem Saxonis inter numina recensent. Haud tamen aquilonis soboles assentationes eorum atque impietatem adæquavit, quorum principes sæpe non consequebatur modò, verùm etiam comitabatur divinitas. Prodigia humanitatis interesse divinitati suæ voluère, ne Deos se fieri metuerent, & memoriam consecrandæ post obitum immortalitatis horrerent. Præterea accensam inflammabat ambitionem, quòd, opinione cœlestis magnitudinis, obruere dignatione reges, & nullis jam exceptionibus, subjectis imperitare superbiùs liceret. Hinc mortalium postremus, qui epularis concilii decreto Deum facere Alexandrum nitebatur, inter cetera palporum, quos unà discumbentibus obtrudebat, Persas non piè solùm, sed etiam prudenter, reges suos inter Deos colere, dislerebat: *majestatem enim imperii, salutis esse tutelam.* Curtius lib. VII. Et ipse deinceps Alexander, gloriæ scilicet suæ

I minimè

minimè refragatus, cum affectatæ divinitatis invidiam averruncaret, *illud*, inquit, *pene dignum risu fuit*, quod Hermolaus postulabat à me, ut averfärer Iovem, *cujus oraculo agnoscor*. An etiam quid Dii respondeant, in mea potestate est? Obtulit nomen filii mihi: recipere ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Vtinam Indi quoque Deum esse me credant. Lib. VIII. Nec alia mens Cæsari fuit Octavio, quando coli se templis, per flamines ac sacerdotes, aut voluit, aut permisit: & quidem *effigie numinum*, ait Tacitus, id est, ut radius, hasta, fulmen, quæ Deorum adponebantur statuis, Cæsareo fuerint adposita simulacro. Successor Octavii Tiberius, quamquam se mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleret, & senatum testaretur, & meminisse posteros optaret, Asiæ tamen civitatibus, ipsi matrique Livix delubrum exstructuris, haudquaquam est adversatus. Misera verò mortalitas, quæ non spe præsumit immortalitatem, sed præsentis sibi divinos adscribi postulat honores: sic obsequiis emollita fortunæ, ac principalibus ad superbiam detorta copiis, ut subinde cœlestem non dici tantum se, sed etiam credi velit, quasi perinde animos frenare parentium possit, ac linguas. At, dum gloriæ consulit, ac majestati supra conditionem

nem

nem hominis elevandæ, pulcherrimis templis, & mansuris destituitur imaginibus, quas in animis & affectibus subditorum erigere sibi principes debent. Odit enim quisque, quem perhorrescit, & exire quamprimum è contubernio mortalium optat, qui Deum honorem sibi præcipit haberi, antequam agere inter homines desierit. Itaque pusilli isti, qui sponte ad omnem assentandi libidinem projecti, nec ulla vi majore compulsi, vivos ac videntes cœlo dicavêre, rebus felicissimè gestis invidiam tali adulatione contraxêre, cœlestinque dignationem non dedêre summatibus viris, sed abstulêre. Neque enim altiùs evexêre magnitudinem Marii, sed eminenti fortunæ ejus æmulationem addidêre comitem, qui, ob copias barbarorum contusas, cœlestium veneratione adhuc in homine perseverantem sunt prosequuti. De quo sic in vita Marii Plutarchus:

Μάλιστα ἢ οἱ πολλοὶ κλίτην τριώμης τρίτον ἐκείνον ἀγρόδιον, ὡς εἶχ' ἠπίονα ἔκελευε τρίτον ἀπεσωθῆναι τὸ κίνδυνον. ὁ-  
 θυμὸς μάλιστα μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν ἐπασι κατ' οἶκον, ἄμφω  
 τοῖς θεοῖς, καὶ Μαρῖῳ δεῖπνον ἐλοιβῆς ἀπήρχοντο. i. e. Atq;  
 adeò illum plebs urbana tertium Romæ conditorem  
 appellavit, quòd Gallico hoc non levius avertisset di-  
 scrimen, latiq; cum liberis & conjugibus quisq; domo  
 in cœna Diis & Mario libaverunt. Id enim sic ac-  
 cipio, quemadmodum de plebecula canit

Horatius, Augusti beneficia divinis pensante  
cerimoniis: condere quemque suis in collibus  
diem, ac dein ad vina redire lætum, alterisque  
mensis Augustum adhibere Deum, & numen  
ejus, defuso pateris mero, Laribus admiscere.  
Pudentius ii, qui, nullum esse eundem & diu-  
turnum & præcocem fructum rati, & inter-  
vallo spem consequendæ divinitatis indigere,  
eo demum tempore, quo invidiam secum vi-  
ventium vicissent, cœlestes magnis animabus  
decrevêre religiones. Sueci, ut fugatas alibi  
diutiùs aluêre superstitiones, sic heroum quo-  
que divinitatis seri admodum exstiterunt ad-  
miratores. Adamus: *Colunt & Deos ex homi-  
nibus factos, quos pro ingentibus factis immortalita-  
te donant.* Quid, quod ii, qui paganorum mise-  
rabantur scilicet amentiam, sanctiorem religio-  
nem futilibus, & è prisca gentilitate repetitis  
interpolavêre superstitionibus? Nám, quem-  
admodum Pontificis Maximi stolam titulúm-  
que, nec non alia fatiscentis impietatis insignia,  
qui primi nomen Christianismo dederunt Im-  
peratores, augendæ reverentia retinuêre: ita  
seculis abhinc non adeò multis, Fridericus,  
quem Barbarossæ cognomentum à reliquis se-  
cernit Fridericis, Carolum Magnum addi nu-  
mero divorum, & cœlestibus placari cerimo-  
niis præcepit. Sed me veterum recentiorúm-  
que



que morum reputatio longiùs tulit: nunc ad inceptum redeo. Non solis sapere datum maribus, sed & feminabus inesse sanctum aliquid & providum Germani putabant: nec aut consilia earum adspernabantur, aut responsa negligebant. Tacitus Histor. iv. *Mumius Lupercus legatus legionis, inter dona missus Velledæ. Ea virgo nationis Bruçteræ latè imperitabat: vetere apud Germanos more, quo plerasq; feminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur Deas. Iterum, de Germaniæ moribus: Vidimus sub divo Vespasiano Velledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complures alias, venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas. Mulieres, inquit, in classem retulêre cœlestium, quòd esse cœlestes crederent, alieni ab inverecunda nostrorum hominum Apotheosi, qui Deos faciunt, quos mortalium haudquaquam excedere fastigium sciunt. Pace summi dixerim autorum, plusculum cordatissimæ nationum tribuit, quàm vel ipsi agnoverint, vel relictus humano generi sensus admiserit divinitatis. Ecquæ gens tam barda unquam fuit aut excors, ut plerasque feminarum non modò fatidicas, sed augescente superstitione fuerit arbitrata Deas? Utique nullam feminarum cœlitibus adscripsere, præsertim quæ famæ interessent*

I 3

sux,

suæ, sed, quòd conscias cœli crederent, ac,  
 Deum munere, futurorum præfagam callere  
 scientiam, idcirco, in magna temporum acer-  
 bitate, oraculi vicem monitus ipsarum obti-  
 nuere. *Velleda auctoritas adolevit, quia prosperas  
 Germanis res, & excidium legionum prædixerat.*  
 Histor. I V. Propterea Dio in eclogis *ἡ δὲ νεστο-  
 ρείων* Velledam ait in Celtica sive Germania  
 fuisse *θεοῦ ἰσχυρῶν*, id est, *furore afflatam divino*. Non  
 magis igitur Dearum numerum auxit Velleda,  
 vel quæcunque alia nostratium heroinarum,  
 quàm aut Pythia vates, quæ, Apolline plena,  
 responsa consulentibus fundebat, aut Martha  
 Syria, ad cuius instinctum atque divinationem  
 præcipua negotiorum Marius dirigebat. De  
 Velleda Caucos quoque non humile fecisse ju-  
 dicium, vix est ut ambigere cuiquam liceat:  
 nam & vicinæ Chaucidi terræ sedem ac domi-  
 cilium sacerrumæ virgini præbuere, & *latè*, in-  
 quit Tacitus, *imperitabat*, id est, dissitorum in-  
 colas tractuum gloriæ atque existimationis  
 suæ amplitudine conjungebat. Quin & deli-  
 berandum Fulvius Ursinus existimabat, annon  
 species barbaræ mulieris humana grandior  
 quæ Drusum, jam Caucis gravem, & arma la-  
 tius proferre destinantem, tendere prohibuit  
 ulterius, ad Velledæ sit referenda majestatem.  
 Cui tamen deliberationi temporum videtur  
 inter-

intercessurus hiatus. Quippe seculum ferè Dru-  
si res dividit à Vespasiano, quo Romæ potien-  
te, excelso illustrique loco sita laus & admira-  
tio viventis Velledæ fuit. Denique memoriam  
ejus inter imprecandi superstite formulæ  
censeo: siquidem joculariter alicui malum op-  
taturi, die *Veldten* advocamus: prout genti-  
lium præstites errorum, desertoribus sui risum  
deinceps atque ludibrium debent. Non est au-  
tem tanto opere mirandum, Velledam nostro-  
rum adhuc temporum inerrare sermonibus. De  
Crodone dictum alibi nobis est, quem pessi-  
ma rerum detestaturi Saxones usurpant. Ita  
Blodi, quem lib. i. locat inter aquilonis nu-  
mina Grammaticus Saxo, sepultam, irâ fer-  
vescente, resuscitant appellationem. Sed nec  
illud quicquam de sententiæ nostræ probabili-  
tate detrahet, quòd vulgus hominum, Veldtæ  
nomen usurpando, sanctimoniam quendam præ-  
mittere titulum consuevit: ac si ad eos tantum-  
modo Divos Veltæ referenda citatio foret,  
quos, eliminatis prioribus, succedere inferioris  
ævi superstitio jussit. Nam & alii plures in me-  
liorum adsciti consortia religionum, depre-  
hendunt nihilominus ethnicos hodiè que de-  
astros sanctitatis epitheto venustare. Nempe,  
cùm florescere passim Christianorum incipe-  
ret disciplina, multò quidem illa divinior eth-  
nicif-

nicismo, sed, vitio temporum sibi dissimilis, & ethnicorum imitamentis incrustata rituum, multorum minùs erecti spiritus novos, quos accipiebant, deunculos ab antiquissimis suis operosiùs secernere neglexerunt: unde cognominis Sanctorum utrisque reverentiam permisère, & reos simplicitatis suæ feros unà posteros fecère.

## C A P. V.

*An fluminum affecerit sanctimonia Caucum. Aquarum admiratores, qui corporum nobiliora naturalium placavère. Semlandi fontes adeunte pollui Christiano putabant. Aquatilium cultor Septentrio demoniorum. Alveorum vorticibus inspectis exitus rerum fatidicæ Germanorum mulieres explorabant. Hesso fontes consecrati, Saxonique. De sacro lucorum horrore. Penetrates Dii, qui in penetrabilibus emitigati sylvarum. Inibi suspensa, quæ præcipuè cœlitum dicata cupiebant honori. Ut imagines ferarum, signa militaria, ab hoste reportata spolia. Duci tale placuit institutum Cherusco. Domesticos à situ vindicaturis mores inscitia sæpe rubiginem detergi, si finitimorum adhibeat in consilium instituta. Sacra Slavorum arbores. Bremanos lucorum diu terror afflavit. In iis Velledæ dicatum nemus. Et Oostera Diva. Caspitiæ nemorum ara. Tumuli nostratibus in sylvis exsurgentes. Exposita Dio Saxoniorum monimenta numinum. Templorum claustra non soli duxerunt inferiora Deum magnitudine Germani. Divinitatis imminutionem credidère, Deos in humani oris effigiare similitudinem. Placanda tamen admisère signa divinitatis. Isidis signum  
liburna*